...racht.

...immaturum
... Olbrachti
Przyiemski, Castell. Gnesnensis.


V
B J
C
18263
I



PARENTALIA,

SVPER IMMATVRVM OBITVM,

Illustrissimi & Magnifici Domini,

D. ADAMI OLBRACHTI,

à PRZYIMA

PRZYIEMSKI,

CASTELLANI GNESNENSIS, REGN. POLONIÆ, SENATORIS, COMITIS GORCENSIS, LIBERI BARONIS OSSIECNENSIS, CIVITAT: RAVICZENSIS, & IN SIERAKOWO Domini Hæreditarij &c. &c.

E viuis, cum ingenti, totius Sarmatiæ, dolore & desiderio, 28. *die, Mensis Iulij, Anno* CHRISTI, 1644. *placidè sublati, conscripta.*

Ab

A. R. N. C. & T. P.

Plin: Lib: 3. Epist: 18.

Laudarè optimum Dynastam, ac per hoc, è speculâ, lumen posteris, quod sequantur, ostendere: plurimum vtilitatis habet: arrogantiæ nihil.



SVBSISTE HIC PAVLVLVM, LECTOR BENEVOLE, ET LEGE SEQVENTIA.

NTER alios labores, quibus vitæ humanæ curſus, conficitur, non minimus eſt, is, qui paſsim in muniendis arcibus collocatur, & militum receptaculis, quibus ab incurſu ac direptione hoſtium, corpora ac bona ciuium, quauis ratione defendantur. Cui prouidentiæ & curæ, tuendorum corporum, ab hoſte externo, vtinam reſponderet ſtudium & meditatio, repellendi illius, qui eum mortalibus, immortale bellum gerit! nunquam tot animæ, in triſtiſsimos diaboli laqueos, inciderent, ac miſerandum in modum, perirent. Iam tanta, in hominum mentibus, radices egit ſecuritas, vt inter maximas hoſtiũ crudeliſsimorum copias, inter infinitas, vitiorũ, machinas, pleriq́; ſine muris, ſine turribus, ſine vllo apparatu, & excubijs, tanquam Endymi-

dymionis ſomno, oppreſsi iaceant. Quo quid ineptius, quid periculoſius, dici aut fingi poteſt? Perturbatiſsima certò eſt tranquillitas, vbi corporis domicilium, contra haſtas & balliſtas, clauſum, ſeptum; & munitum eſt: animus vero domeſticis hoſtibus, ſemper patet, ab ijſq; oppugnatur quotidie & expugnatur.

Quod ſi alterutrum omittendum ſit: quanto ſatius fuerit, ad arcendos eos, qui animæ inſidiantur, caſtellū erigere, quam qui corpori? Enimuero, quàm fragilia ſint eiuſmodi propugnacula, quid attinet dicere? plurimarum arcium, quæ olim validiſsimæ habitæ ſunt, cadauera hodie, argumento ſunt, nullum vſpiam reperiri locum inexpugnabilem. Ingens iacet Ilium: iacet Corynthus, quæ perpetuitatem conſequentis temporis, ſibi certò pollicita fuerant: tum valdè, quàm multi Reges potentiſsimi, ex turrium culmine, in hoſtium vincula, tracti ſunt: exercituſq; Romanus, muros Hieroſolymitanos tranſuo-

lauit

lauit. Atq; vt maximè, arces munitæ, ad ferendam obsidionem, sint latebræ, impetumque hostilem, ad tempus sustineant, mortem tamen excludere nequeunt, quæ nec ad conscendenda turrium fastigia, scalis indiget: nec ad diruendos muros ariete: sed, vt Poëta canit, æquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumq; turres, eosq; ex augustis palatijs, in angustas admodum domos conijcit. Rectius igitur faciunt, & melius sibi consulunt, qui ante omnia, de profugio animæ, sunt solliciti: Id quod fecit, Illustrissimus & Generosissim⁹ Dominus, D. ADAMVS OLBRACHTVS à Przyima PRZYIEMSKI, ex per antiqua & Illustri PRZYEMSCIORVM familia, oriũdus, Patre Illustrissimo & Magnificentissimo, D. ANDREA de Przyima PRZYIEMSKI, Castellano Gnesnensi, postea Curiæ Regni Marschalco, à quo à primo lacte, in auita Catholica Romana Religione, educatus & informatus est, vt vbi primùm agnoscere, insidias ho-

ſtium, ac furores cœpiſſet, mox de tali præſidio cogitaret, quod conuenientiſsimum & vitæ ſaluberrimum videbatur. Simul ac defunctus noſter HEROS, ad capeſcendam diſciplinam, fieret habilis; ad virtutum & literarum ſtudia, fideliter ductus eſt, ac feré, in ipſis, quod aiunt, crepundijs, ſubſecuturæ vitæ documenta præclara edidit. Quemadmodum enim, fruſtra afflatur cinis, omnis ſcintillæ expers, ſed fauilla intùs ſit, neceſſé eſt, quæ flando excitanda & in flammam erigenda eſt: ſic licet interdum, natura, ſtudio mollita, cultum ingenij admittat, & diſcendo, conandoq; augeatur: vt plurimùm tamen, opera, luditur in ijs, qui ad præclara quidam & magnifica, à præceptoribus inſtituuntur, repugnante autem natura, progredi, ad altiora nequeunt, verùm, vt ait Pindarus, ad viuacem nominis famam, contendentes, ſilentio ſepeliuntur.

Progreſſæ ætatis Dynaſtæ, plurimùm commodauit, fidelis inſtitutio, Reuerendorum

dorum Dominorum Patrum, Societatis IEsv, Virorum, extra inuidiæ aleam, doctissimorum, qui linguarum perpurgata vitiligine, omniq; detersa barbarie, per vniuersam Europam, suos habent laudatores. Reuered: PP. igitur, de quibus dixi, fideli ductu, Dominus PRZYIEMSKI ad virtutem, & per virtutem, ad summa illa, quæ in hominem cadere possunt, prouectus est. Nam cùm amplissimam gloriæ possessionem, sibi à maioribus relictam animaduerteret: eam, non modo amittere, sed reddere ampliorem, familiæq; dignitatem & splendorem propagare, ad posteros, vnicè studuit. Ac primum quidē, pubertatis annos, emensus, ne inexpert⁹ rerum, locorum atq; hominum, aliquandò, capessere videretur Rempublicā, profectionem adornauit, ac potissimum elegit, aulam, Diui SIGISMVNDI III. Poloniæ ac Sueciæ Regis Augustissimi, felicis recordationis, in quâ, mores & discrimina personarum, ingenia Principum,

ordi-

ordinem pugnarum, & imperatoriam illam ſcientiam, inſtruendi aciem, addiſceret. Cuius etiam caſtra, ſecutus eſt, & militauit ad Choćimū, aduerſus hoſtem perpetuum & infeſtiſsimum, Crucis Chriſti, cui nulla voluptas maior oboriri poteſt, quam ſi igne, ferro, & cruenta impreſsione, vrbes, oppida, caſtella, pagos, domoſque Chriſtianorum, deuaſtari: filios, in conſpectu parētum truculenter iugulari: matronas ac puellas, turpitèr ſtupratas, crudeliter necari: viros, non ſolum robuſtiores, ſed & ſenio debiles & canitie venerabiles, omni ſuppliciorum genere, mactari: ipſa denique altaria & Sanctiſsimi Numinis delubra, impiè conſpurcari viderit. Contrà talem, Chriſti & Chriſtianorum hoſtem, HEROS noſter PRZYIEMSCIVS, arma ſumpſit, tum, vt ipſius furori obſiſteret: tum etiam, vt vſum armorum, à peritiſsimis Ducibus, cognoſceret; ſi fortè ita res ferret, vt ars ſclopetaria, tormentaria & ſagittaria, quam exercitationibus

ludicris

ludicris, antea sibi comparauerat, in conflictibus serijs, foret adhibenda. Finito bello, & impetrata à Regia Magestate dimissione, Przyiemscius, in Patriam reuersus est, & cum iam innotuisset, in castris metandis solertia, in causis diiudicandis, æquitas: in dandis consilijs, prudentia, omnium suffragijs, annuente S. Regia Maiestate, primum Metator Castrorum: deinde, Castellanus Gnesnensis & Regni Senator, constitutus est: quæ officia, ita administrauit, vt nec fautoribus admonendi, nec obtrectatoribus, resistendi, locum relinqueret. Quemadmodum enim, fax, in sublimi posita, simul & semel, multis caligine in erorrem abreptis, aut ad prolapsionem pronis, succurrit: sic ipse, cunctis, virtutum exemplo, præluxit, vt quid iustū & æqum esset, tùm verò, quibus rationibus, Reipub: ruina, vitari posset, nullo negotio cernerent. Nam, cum subditi, in gubernatione, animum, quasi per rimulas introspiciant: & qui Imperio maximus est,

 idem

idem maior sit exemplo: vt rectè dixit, Paterculus: adeò inuictum se à vitijs præstitit, vt (quantum imbecillitas humana patitur) vita eius esset, tanquam imago quædam, integritatis ac virtutis. Cæterum, ita hic vixit, vt nec insolentiæ tumidæ, nec timidæ inertiæ ac voluptati, esset deditus: sed omnibus conspiciendum sese exhiberet, & tranquillum, sine desidia, & gloriosum, sine superbia. Ita in ipso, humilis modestia, cum magnanimitate Heroicâ, amicè & laudabiliter concertarent. Porro Illustrissimus, per vniuersum vitæ tempus, ad Religionis innatæ & Pacis tranquillæ, procurationem ac defensionem natus fuisse, visus est: sic gubernationē suam, cum fundationib⁹ Monasterior non solum Patrum Franciscanorum, sub regula strictioris Obseruantiæ, in ciuitate sua Osiecznensi, verum etiam Fraternitatis S. Rosarij, Ord: Patr: Dominicanorum in Gorcensi, & S. Scapularis in Osiecznēsi, prædictis suis Hæreditarijs Ciuitatibus maximo

ximo omnium Catholicorū applausu con-
spectiorem reddidit: deinceps quoq; ita
se gessit, vt antè omnia semper sollicitus
esset, vlterius de propaganda sanctissima
religione, ac tum demum iucunde viuere
videretur, cùm prospexisset Ecclesiæ Ca
tholicæ, hoc est: non solum ad huius mun-
di famam, sed ad ipsum cælum, sibi scalam
applicasset, verum enim, ex libro sapien-
tiæ, de sapientia cælesti, dicere poterat:
Ego hanc exquisiui, à iuuētute mea: hanc
mihi assumpsi, in Sponsam & amator sum
formæ illius. Hanc suam Sponsam, serio
semper ac deuote tractandam, commen-
dauit ijs, qui ad SS. Sacramēta in Ecclesijs,
suæ ditionis, fuerunt constituti, nec aut
vlla re magis oblectatus est, quam si audi-
ret, recte in templis administrari sacra: aut
vllos sumptos fecit libentius, quam qui ad
Catholicam Religionem propagandam,
impenderentur. Proxima cura fuit, vt,
quæ Rempubl: spectabant, responderent
prioribus, quandoquidem omnia consilia,

 retulit

retulit, ad ſubditorum pacem, quæ vna, ſecundùm Poëtam, eſt triumphis innumeris potior. Eaque ſublata, idem eſt, ac ſi obſtruatur fons ille, vnde ad ſubditos omnes, omnium bonorum copia deſtuit, Scitè autem Athenis, Pacis quondā ſimulachrum fuit poſitum, teſte Pauſania, geſtans filium Plutum: quo innuere voluerunt homines ſapientiſsimi, opes (quibus Plutum, antiquitas prçfecit, quod ex imis terræ viſceribus eruantur) tum demum reperiri, in Rebuſpublicis, ſi pax, à Poëta, merito aurea denominata, in ijs effloreſcat: ſi quis fortè excipere malit, Martis filios iſtos, quibus ſola eſt voluptas, viuere ex rapto, quos ſuo genio & ingenio, relinquimus. Sicuti autem Illuſtriſsimus Dominus PRZYIEMSCIVS, in eo totus fuit, vt cum vicinis & exteris, omnis proſperitatis parentem, aleret Pacem: ſic gentem, fidei & protectioni ſuæ concreditam, non aliter, ac bonus pater, vnicam filiam, in ſinu ſuo complexus eſt, eamque, tam domi, quàm foris, fouit, au-

xit, &

xit, & quibuſcunq; potuit, ornamentis cumulauit. Nihil hic fingo, nihil do auribus illius, qui hæc non audit: aut ſi audiat, fingenti commodare nihil poteſt; memoria in medio eſt: eam quilibet conſulat: reperiet illum, tantum abfuiſſe à tyranide, vt non ſolum apud ſuos ſubditos, amabiliſsimum illud antiquiſimorum Dynaſtarum nomen, PATER PATRIÆ, quod nonnullis iniquè admodum tributum eſt, crebrò iteratum, experiretur, ſed finitimi etiam populi, vicinis ſuis, Dominum adeo clementem, inuiderent.

Cæterum Illuſtriſsimus Noſter, maturus ad Coniugium, matrimonium inijt, & nuptias celebrauit cum virgine tali, quam ob corporis, animique dotes admirabiles, cum ſacris literis, ESTHERAM, dixeris, vel ſi quid fæminarum Illuſtrium genere, ESTHERA, fuit religiſior, ZOPHIA GRZYMVŁTOWSKA: Me dicere animaduertis Lector; Heroinam illam, quæ edita, patre Illuſtriſsimo IA-

NVS-

NVSIO GRZYMVLTOWSKI Castellano Bydgostiensi, Capitaneo Srzodensi &c. quæ antiquam & venerandam nostram Catholicam religionem, syncere & fideliter coluit: sacra templa ædificari ac refici curauit, magnificè & euidenter: pauperes sustentauit, ægrosq; recreauit, lautè & liberaliter: mariti curas, leniit iucundè & prudenter: subditos amplexa est sedulo & amanter: ex omnibus deniq; dictis & factis, mentis purissimæ, emisit radios. Verum & hæc curarum requies ipsius Magnificentiæ subtracta est, quando splendidum illud sydus Poloniæ, occidit & vxor generosissima, Maritum, cuius animũ, solis instar, illuminauerat, densissimis mœrorum nubibus, immersum reliquit. Non mirum, si Illustriss. Dominus, cum Iobo exclamauit: Sagittæ Domini in me sunt: & ex Diuo Augustino, eiulauit: Heu! de quanto bono, in quantũ malum decidi. Verùm, qua fuit animi magnitudine, mox procul dubio, addidit ista:

Certus

Certus ſum, quod vita noſtra, non temerariis motibus agatur, ſed a te, Domino Deo noſtro, diſponatur & gubernetur. Tu igitur Domine exterius flagella irrogas, da intus indeficientem patientiam. Dedit certè miſericors Pater, vt a luctu acerbiſſimo, Illuſtriſſ: Dominus Caſtellanus paulatim auocaretur, & mentis ipſius ægritudo, ſi nō ſanaretur penitus, magna tamen ex parte leuaretur. Quam ad rem, non parum opis tulit, tum ortus nitore & amœna corporis dignitate, tum etiam eximia animi pietate & virtute præſtantiſsima Virago, DOMINA ANNA CONSTANTIA, Illuſtriſsimorum Parentū, DOMINI SIGISMVNDI de GRVDNA GRVDZINSKI, Palatini Caliſienſis, & DOMINÆ ANNÆ OPALINSKA, filia, quæ pronuba DEI clementia, DOMINO PRZYIEMSCIO, nupſit, & venuſtiſsima gratia, animum huius tranſtulit, ad iucundiora, fecitque vt memoria doloris veteris, noua lætitia expellere-

expelleretur. Neque coniugium hoc ſterile: fuit: Felicitatis enim, cælitus promiſſæ, prolem laudabilem protulit, Generoſiſsimam Hæroinam, SOPHIAM, quæ, nuptuj data, Illuſtri & Magnifico Domino, ALEXANDRO à STEMBERK KOSTKÆ, Beati noſtri, STANISLAI KOSTKÆ, agnato: quæ ab ipſo vitæ limine, tantam & naturæ bonitatem, & mentis generoſæ integritatem omnibus conſpiciendam exhibuit, vt ad huc omnis ditio, eiuſdem pietatem & clementiam, admiretur. Proindè eximie & beneuole Lector, intellexiſti, me recenſente, Illuſtriſſimi D. PRZYIEMSKI laudabilis iuuentutis integritatem, memorabilem matrimonij felicitatem, admirabilem totius vitæ integritatem. Accipe nunc paucis exoptatam mortis tranquillitatem. Nouerat Dominus Caſtellanus ex Diuo Auguſtino & Baſilio: Deuotam orationem, eſſe oranti ſubſidium: DEO ſacrificium, Diabolo ſupplicium. ſcutum in nocturnis

terro-

terroribus: requiem, in diurnis laboribus, munimen, iuuenibus; solamen, senibus: eamque ob causam, nullam de cælo, diem labi passus est, quem non auspicaretur, à pijs precibus & sacris officiis auscultandis. Eadem ratione, morbo correptus, cùm extremam vitæ horam, sibi adesse persentisceret, sanctissimis Sacramẽtis munitus, complicatis manibus, ardentibusque suspiriis, animam suam, DEO commendans, absque vllo ferè mortis sensu, obdormiscens, vitam hanc deseruit.

Sic igitur collapsa est Regni columna solidissima: rupta est, Orbis Sarmatici, corona fulgidissima: obijt assertor pacis publicæ: vindex iustitiæ: assertor Ecclesiæ: Mœcenas Literatorum: PATER PATRIÆ: decus naturæ: amiserunt, Monasteria & Templa, nutritorem liberalissimum: Ciuitates protectorem gloriosissimum: subditi Dominum gratiosissimum: literæ hospitem: studia amatorem:

virtus imaginem. Exaudijt Omnipotens vocantem, amplexantem sustinuit, spiritumq; manibus suis commendatum placidissimè sustulit: adeò, vt ex grassatore hoc, gestator fieret, ex mortis periculo, in veram vitam, vehiculum. Itaque huius obitum Mariti, lugebit tristissima derelicta vidua & suauissimi superstites quidem: amoris enim istum affectum, quem naturæ conditor, induit, exuere nemo poterit, qui non fratris, aut vxoris nomen abijciat, sed nihilominus, gaudebunt, cum ex his terris, abeundum fuerit, ita eum abijsse, vt honestam nominis sui memoriam, apud nos reliquerit, sempiternam, apud DEVM, quietem inuenerit. De qua ipsi, ex animo, meritò gratulamur.

Adtu-

Ad tumulum

Jllustrissimi & Magnifici Domini,

D. ADAMI OLBRACHTI à PRZYIMA PRZYIEMSKI

CASTELLANI GNESNENSIS, COMITIS de GORKA &c. &c.

ACCIPE *desertæ Patriæ,* COMES, *vltima grati*
Pectoris officia, & quod consecro, flebile munus
Exequijs, mæsto ore, tuis, ne despice, Lauro
Non ego Pieria Vates, sed fronde Cupressi
Tristia ferali, præcinctus tempora, serto,
More strigis querulo, malè faustos, pectine cantus.
Apparo funebris, stridebit Apolline nullo
Nænia; vos lacrumis adiungite Carmina, MVSÆ.
Quid non fata parant, cum te, clarissima GENTIS
GLORIA PRZYEMSCIACÆ, *quo vix præstantior alter*
Non erat, & pietate animi præcelsior; atro
Eheu corripiant letho! seclisq; futuris
Spem vitæ eripiant! tua dum dignissima ductu
Currere perpetuo, male rumpunt, stamina, Parcæ.
Siccinè nos miseri, COMITVM, *te gloria præstans*
Cernimus impositum pheretro? sic pallida texit
Ora lues? vbi frontis honor, faciesq; venusta
Purpureis depicta rosis? vbi viuida virtus?

Non Regis sic fata dolent Ægyptus; & ingens
Lydia, non populi Parthorum, aut Mœdus Hydaspes:
Vt, VIR CELSE, *tuum, plorat gens subdita funus,*
Et mortem, antè diem: quem non hominumq; Deumq;
Incusat demens? tumido iacet abdita luctu
LOECHIA *tota pauens, violati Numinis iras.*
Non eadem luctus causa omnibus: ille Parentem
Exstinctum Patriæ plorat; dolet iste columnam
GENTIS SARMATICÆ, *tristi occubuisse ruinâ.*
Hic, sacris adijtis, pius ingemit: Ille quietæ
Pacis amans, Fatiq; minas, rabiemq; Tyranni
Horrescit Getici: celebres, mala damna, sequuntur
Exequias: tacito premit altum, corde, dolorem
Progenie diti genitor, sed paupere censu.
Hæc patre orba suo, in gemitus ruit: Illa marito:
Spem longam, tulit hora breuis: nunc omnia luctus
Occupat & gemitus; ceu rorans lacryma nusquam
Vlla fluat, mæsto, testantur singula vultu.
Nupta & GRVDZINSKO *de* SANGVINE, *creta iugali,*
Altera, digna thoro tanto, seruata dolori,
Tanto, mortiferis iam dudum saucia telis,
Concidit exanimis: custodes corporis ægras
Inter & egregiam sobolem: Domus vndiq; planctu
Ingenti reboat; nec dum laxata querellis
Est via; vix tandem afflicto suspiria corde
Exhalant, crebrèq; effunditur imber ocellis
Turgidulis; nec passa moras vox turbida; me nè

Deseris, ô mea lux, inquit, mea vita, meum cor,
Ac desiderium miseræ, hoc immane, relinquis?
O vtinam, tumulo, Coniunx, cum Coniuge, eodem
Condar & ossa lapis tegat idem! viuere mors est,
Hoc sine, vita mori. cum Coniuge; adeste ministræ:
Deuotum vittate caput: vixi satis, & iam
Nil fera Fata moror: faciles date, manibus imis,
Iniurias: similis me mors agit inuida nostri;
Atq; eadem clemens votis, comes ire sub vmbras
Caræ animæ cupio: manibus mox pectora tusa,
Et teneras laniata genas, collabitur: omnes
Adstant attonti: digitis petit ille capillos:
Ista genas: gelido quicqnid resupinus in Hemo,
Thracius Eurydice amissa, conquestus, & atris
Memnonis exequijs, mater furibunda, locuta est,
Audijt, heu, properè, sublati PRZYMSCIDIS *aulam.*
Sol etiam nigro, faciem velauit, amictu,
Commiserans mundiq; vices, hominumq; labores:
Soluitur in fletus; lacrymisq; cadentibus, humet
Iuppiter, arctato nox intempesta liquore
Tecta, solumq; tegit, peplum funebre, ministrans
Agris, arboribus, saxis, Paphysq; rosetis.
Quin triste audires syluas vlulare, ferasq;
Sole sub occiduo, & noctem exercentibus astris.
Tu verò humanis, iam non exercita, curis,
Sancta anima, Elysiumq; colens, venerabilis vmbram,
Quin potius rutili, per fulgida sydera cæli,

Lactea qua ducit via, lætus vecta quadrigis.
Sinceræ fidei, nil tartara sæua tremiscens,
Ter geminumq́ canem, forsan hæc suspiria noscis,
Aut vides, numero cæli, mille agmina adaugens,
Sub pedibusq́ videns, attritæ spicula mortis:
Vixisti satis, ingenio, virtutibus, annis,
Dummodo in his terris, satis est, virtutibus annis,
Jngenio, innumeros, superare Heroas: auitum
Stemma retrò multis, sparsit sua lumina, seclis,
Consiliisq́ Armisq́ potens, cui barbara cessit
Gens Othomagina ducis olim; tetrius atra
Dire genus: Puerum lactarunt, vbere diuo,
MVSA, CHARIS, NEMESIS, *clarum sapientia nomen*
Obstetrici dedit MVSA: *Charis alma benignum,*
Esse bonis iussit. reprobris Rhamnusia acerbum.
Magna semper erat, viuo, RESPVBLICA, *curæ &*
RELLIGIONIS *amor; rumores ante salutem*
Haud posuisti, atq́ esse patrem, quem ditior alti
Maluit ingenij virtus: Honor artibus: Aulæ
Exemplum: Pietas Regno: sors hospita Templis,
Legibus auxilium: Bellonæ terror iniquæ:
Præsidium Paci: nunc continet vrna DYNASTAM.
Acer amor fragilem, terris te ducere, vitam
Vlterius cupit his, animamq́ redire sepulchro,
Verum aliud visum superis: tibi plurimus ore
CHRISTVS *erat:* CHRISTO *Duce, formidabilis ipse*
Victor eras. Mentem non abijcere tumultu,

Res

Res dubiæ: applausu non instauere secundæ:
Sorte vtraq; animus fuit idem: mobilis ergò
Deserta est regio: quæsita immota: beata
Qua mentes habitant, sine letho & crimine, turba.
Vtraq; vitæ hujus, dum Fata Deusq; sinebant,
Exoptata thori Consors, fert obuia gressus,
Jamq; iterum atq; iterum, dextram coniungere dextrâ
Posse datur, dulcesq; audire & reddere voces.
Personat hinc cælum, strepitu alataq; resultant
Lætitiá, cælorum acies: lustrantq; canentes,
Quis nouus æthereæ domui, successerit hospes.

PHOEBE potens numeris, afflataq; numina Phœbo
Ferte pedes faciles, adsunus triste, sepulchrum
Vos vocat: incensis circum funalibus, vrnam
Cingite; si desunt hederæ, si flos Hiacynthi,
Si rosa, si violæ: date thura, & valle sabæa,
Quicquid mittit Arabs: tumulo solennia mœsto
Soluite, terq; Vale extremum, pia, poplite flexo
Lingua sonet: marmor seclis, signate, futuris
Carmine, quod cultu senium ferat. ô ego molem
Magnificam, ætherio, si possem educere, cælo:
Quam non tempus edax, quam non cariosa vetustas
Diruat! haud aliud malim; sed ponere celsas
Non opis est nostræ, picturatasq; columnas:
Quod licet id peragam: nigrani syrmate, corpus
Jndutus, cineri, dabo Februa mœsta quot annis.

Opa-

O Pater, alme Pater, si non exosus, ad vnum,
SARMATICOS, tua si pietas antiqua, labores
Respicit, humanos, meritæ, placabilis, iræ,
Vltrices scelerum flammas, auerte, vt inani
Fulmina, bruta cadant, tonitru: PRZYMA auspice, nata
Stet fortunata Domus: & Aui numerentur Auorum.

EPITAPHIVM EIVSDEM,

ILLVSTRISSIMI CASTELLANI,

COMITIS &c.

EN ego, qui CELSO, PRZYMÆO STEMMATE, natus:
Hac gelidâ posui, languida membra, solo.
Qui fuerim quondam, te SARMATA TERRA, docebit:
Qui nunc sim, posthac, quisquis es hospes, eris.
Perpetuò nemo viuit: rapit omnia lethum;
Fluxa obeunt; pereunt lubrica: cuncta cadunt.
Fama leuis: leuior Fortuna: leuissima mens est:
Hæc longè exsuperat, sed leuia, ipsus homo.
Fama breuis: breuiör Fortuna: breuissima mens est:
Hæc multò excellit, sed breuia, vnus homo.
Mobilis est ventus: veloxq; volubilis annus:
Gloria nostra breuis: funda voluta, leuis.
Mobilior sed homo est, hominis velociter ætas:
Et leuior, breuior, vita necisque dies.
Marcescunt subitò violæ, cito lilia languent:
Somnus abit: pereunt vitra; volatq; sonus.
Sed citius, flaccescit homo: citiusque fatiscit:
Quam violæ, somnus, lilia, vitra, sonus.

D. O. M.

D. O. M. S.

Quisquis es, subsiste viator, & diræ mortis, adspice triumphum, namq; hic,

JLLVSTRISSIMVS DOMINVS.

D. ADAMVS

OLBRACHTVS à PRZYIMA PRZYIEMSKI,

CASTELLANVS GNESNENSIS, REGNI POLONIÆ SENATOR GRAVISSIMVS &c.

E coniugali copulatione, duarum Jllustrissimarum Heroinarum, prioris Dominæ,

ZOPHIÆ GRZYMVŁTOWSKA.

Olim Illustrissimi & Magnifici Domini,

D. IANVSII GRZYMVŁTOWSKI CASTELLANI BYDGOSTIENSIS &c. CAPITANEI SRZODENSIS. FILIÆ.

Alterius verò,

DOMINÆ ANNÆ CONSTANTIÆ DE GRVDNA GRVDZINSKIA,

ILLVSTRISSIMI DOMINI SIGISMVNDI

DE GRVDNA GRVDZINSKI,

D PALA-

PALATINI CALISSIENSI,
FILIÆ.

præsertim verò

Quod ex illa, in hanc lucē prodierit, Illustrissima illa proles, gnata vnica,

DOMINA ZOPHIA

Nuptui data Illustrissimo

D. ALEXANDRO à STEMBERK KOSTKA,

felix

Diuo SIGISMVNDO III. piæ memoriæ, necnon Diuo VLADISLAO IV. Poloniæ ac Sueciæ Regibus augustissimis.

Charus,

Auitæ Catholicæ Romanæ Religionis, assertor,

Eiusdemq́,

In Ciuitatibus, suæ ditionis, vt potè, in Monasteriorum, Ord: Sancti Francisci Minor: Conuentualium, strictioris Obseruantiæ, Gorcæ & Osiecnæ; fundationibus

PROPAGATOR.

Jtidem,

In Fundationibus Fraternitatum S. Rosarij, in Gorcensi: Et S. Scapularis in Osiecnensi, prædictis suis hæreditarijs Ciuitatibus, deuotissimus & liberalissimus

PATRONVS.

Patriæ

Patriæ salus:
Turcarum terror:
Moschouitarum malleus:
Pauperum Asylon:

Summatim,

Sarmatiæ sydus, occidit.

Mortales exuuias, hic deponens: se immortali memoriæ sacrauit.

Eheu!

Columen Regni, corruit.

Patria & Prosapia Ingemiscens,

O me infelicem genitricem! dum maiora & feliciora, spero: talem amitto: qualem, serò mihi promitto, defensorem.

Qui,

Tanquam tutelare Numen & Lumen, mihi ademptus.

Bonis omnibus, lugendi necessitatem:

Maleuolis, si non luctum: verecundiam tamen, imposuit.

Jam abi viator.

Et si amicus: dole:

Si inimicus.

Sortem tuam, vel, Pompeij mortem, specta.

Si neutrum?

Mirare, rerum humanarum, casum & occasum.

Quippè, huic nihil defuit: præterquam, quod mortalis fuit.

Natali cælo receptus, A. Christi, M. DC. XXXIV. d. 28. m. Iulij.

Dicatis terræ membris,

Miraculum hîc iacet.

ô rerum humanarum, inconstans exitus!




Biblioteka Jagiellońska
stdr0006640

